

res ac consulentes aique dicentes : « Estote omnimodo unanimes in fide Christi et sancte Crucis victoria^a, quia hodie omnes divites, si Deo placeat, effecti eritis. »

Continuo fuerunt ordinate nostrorum acies. In sinistra parte fuit vir sapiens Boamundus et Rotbertus Norrmannus⁶ et prudens Tancredus ac Rotbertus de Ansa et^d Richardus de Principatu; episcopus vero Podiensis venit per alteram montanam, undique circumcingens incredulos Turcos¹; in sinistra quoque parte equitavit fortissimus miles Raimundus, comes de Sancto Egidio. In dextera vero parte fuit dux^e Godefridus et acerrimus miles Flandrensis comes et Hugo Magnus et alii plures quorum nomina ignoro.

Stanim autem venientibus militibus nostris, Turci et Arabes et Sarraceni et Angulani⁷ et omnes^e barbare nationes dederunt velociter fugam per compendia montium et per plana loca. Erat autem numerus Turcorum, Persarum, Publicanorum³, Sarracenorum, Angulano-
rum aliorumque paganorum cccxx milia, extra Arabes, quorum numerum nemo scit nisi solus Deus⁴. Fugerunt vero nimis velociter ad sua tentoria, ibique eos diu morari non licuit. Iterum vero arripuerunt fugam nosque illos persecuti sumus occidento^f tota una die

et accepimus spolia multa, aurum, argentum, equos, asinos, camelos, oves et boves et plurima alia que ignoramus et, nisi Dominus fuisset nobiscum in bello et aliam cito nobis misisset aciem¹, nullus nostrorum evasisset, quia ab hora tertia usque in horam nonam perduravit hec pugna. Sed omnipotens Deus, pius et misericors, qui non permisit suos milites perire nec in manus inimicorum incidere, festine nobis adiutorium misit. Sed fuerunt illic mortui duo de nostris^a milites honorabiles, scilicet Godefridus de Monte Scabioso² et Willhelmus Marchisi filius, frater Tancredi, aliique milites et pedites quorum nomina ignoro.

Quis unquam tam sapiens aut doctus audebit describere prudentiam, miliciam et fortitudinem Turcorum? Qui putabant terrere gentem Francorum minis suarum sagittarum, sicut terruerunt Arabes, Saracenos et Hermenios, Suranos^b et Grecos. Sed, si Deo placeat, nunquam valebunt tantum quantum, nosiri³. Verum tamen dicunt se esse de Francorum generatione et quia nullus homo naturaliter debet esse miles nisi Franci et illi⁴. Veritatem dicam quam nemo audebit prohibere: certe, si in fide Christi et Christianitate sancta semper firmi fuissent et unum Dominum in trinitate confiteri voluissent Deique filium natum de virgine^c, passum et resurrexisse^d a mortuis^e et in celum ascendisse suis cernentibus discipulis^f consolationemque^g Sancti Spiritus perfecte misisse^h et eum in celo et in terra regnantem

recta mente et fide credidissent, ipsis potentiores vel fortiores vel bellorum ingeniosissimos nullus invenire potuissetⁱ; et tamen gratia Dei victi sunt a nostris. Hoc bellum factum est primo die julii^a.

Angulani (?)